

C.A.P.E.S.

CONCOURS EXTERNE

Section : LETTRES CLASSIQUES

VERSION LATINE

CESAR DOIT RESTER EN GAULE

Semitam tantum Galliae tenebamus antea, Patres conscripti ; ceterae partes a gentibus aut inimicis aut imperio aut infidis aut incognitis aut certe immanibus et barbaris et bellicosis tenebantur ; quas nationes nemo umquam fuit quin frangi domarique cuperet. Nemo sapienter de re publica nostra cogitavit jam inde a principio hujus imperii, quin Galliam maxime timendam huic imperio putaret ; sed propter vim ac multitudinem gentium illarum numquam est antea cum omnibus dimicatum ; restitimus semper lacessati. Nunc denique est perfectum ut imperii nostri terrarumque illarum idem esset extremum.

Alpibus Italiam munierat antea natura non sine aliquo divino numine. Nam, si ille aditus Gallorum immanitati multitudine patuisset, numquam haec urbs summo imperio domicilium ac sedem praebuisset. Quam jam licet considant. Nihil est enim ultra altitudinem montium usque ad Oceanum, quod sit Italiae pertimescendum. Sed tamen una atque altera aestas vel metu vel spe vel poena vel praemiis vel armis vel legibus potest totam Galliam sempiternis vinculis adstringere. Impolitae vero res et acerbae si erunt relictae, quamquam sunt accisae, tamen efferent se aliquando et ad renovandum bellum revirescent.

Quare sit in ejus tutela Gallia, cujus fidei, virtuti, felicitati commendata est. Qui si Fortunae muneribus amplissimis ornatus saepius ejus deae periculum facere nollet, si in patriam, si ad deos penatis, si ad eam dignitatem, quam in civitate sibi propositam videt, si ad jucundissimos liberos, si ad clarissimum generum redire properaret, si in Capitolium invehit victor cum illa insigni laude gestiret, si denique timeret casum aliquem, qui illi tantum addere jam non potest quantum auferre, nos tamen oporteret ab eodem illa omnia, a quo profligata sunt, confici velle. Cum vero ille suae gloriae jam pridem, rei publicae nondum satis fecerit, et malit tamen tardius ad suorum laborum fructus pervenire quam non explere susceptum rei publicae munus, nes imperatorem incensum ad rem publicam bene gerendam revocare nec totam Gallici belli rationem prope jam explicatam perturbare atque impedire debemus.

CICERON, *De prouinciis consularibus*